

in genere convivii, dividitur in plura, vel e converso; et ita sacramentum ante sumptionem dicitur convivium in sui instructione, et quasi in actu primo; in ipsa vero sumptione dicitur quasi in actu secundo, quia applicatur ad sumendum, non quod ipsa sumptio pertineat intrinsece ad sacramentum, sed quia ordo ad illam, qui est in speciebus consecratis facit unum, vel multiplex convivium, sicut ordo ad divisionem quantitatis multiplicat individua in corporibus.

XXV. Ad secundam instantiam dicimus, ordinationem extrinsecam sacerdotis, si solum sit mentalis et in intentione, nihil facere ad unitatem vel pluralitatem sacramenti: si autem sit ordinatio exterior consecrativa sacramenti, quæ præparat, ipsum convivium; vel distributiva, quæ ipsas communionem dividit vel facit, conducit talis ordinatio ad unitatem vel pluralitatem per modum causæ efficientis; sicut enim qui dividit aquam vel lignum, conducit ad multiplicationem individua per modum causæ efficientis, ita qui distribuit convivium vel præparat, conducit per modum causæ efficientis ad illius unitatem vel pluralitatem numericam; formaliter vero sumitur per ordinem ad diversa subjecta talis convivii. Quod vero dicitur, sacramentum solum fieri consecratione, non divisione vel ordinatione, dicimus consecratione fieri unum sacramentum in actu, et plura in potentia, seu virtualiter; quæ postea per divisionem materiæ consecratæ fiunt in actu plura in vi prioris consecrationis, quæ ad totam illam materiam se extendit; et divisio solum est conditio requisita, ut illa sacramenta reddantur plura in actu.

XXVI. Ad ultimum respondetur, quod simpliciter sunt plura sacrificia, et plures missæ, quæ diversis

celebrationibus fiunt. Licet enim res oblata sit eadem numero, tamen sacrificium non supponit pro ipsa materia oblata, sed pro ipsa actione oblativa, et immutativa rei oblatae in honorem Dei; et cum istæ actiones sunt plures, sunt etiam plura sacrificia: et eadem ratione sunt plura sacramenta, quia sunt plura signa. Exempla vero quæ adducit argumentum, conducerent si corpus Christi in hoc sacramento esset subjectum istarum specierum, vel significationis sacramentalis, quæ constituit rationem sacramenti. Cæterum subjectum hujus significationis sunt ipsæ species consecratæ, in quibus constituimus sacramentum eucharistiæ; et ideo multiplicatis speciebus in ratione signi sacramentalis et convivii, multiplicantur sacramenta.

ARTICULUS IV.

Utrum hoc sacramentum in re, vel in voto sit de necessitate salutis ad primam gratiam et perseverantiam?

I. Supponimus vulgarem illam distinctionem de necessitate medii et præcepti. Dicitur necessarium necessitate medii vel finis, quod ex natura sua, vel ex institutione divina requiritur ad obtinendam salutem, sicut ad gloriam requiritur gratia, et in adultis merita: et sicut ad gratiam requiritur dispositio in adultis (scilicet fides et pœnitentia) et pro omnibus baptismus. Dicitur necessarium necessitate præcepti quod licet ex sua natura, vel institutione non requiratur ad salutem, quia observatio mandatorum est necessaria ad salutem. Unde ea quæ solum ratione præcepti sunt neces-

saria, admittunt aliquando excusationem propter aliquas circumstantias occurrentes; quæ vero sunt necessaria necessitate medii, quacumque ratione aliquis careat illis, non salvabitur. Sicut si parvulus careat baptismo, ex quacumque occasione id fiat, non salvabitur; et adultus si careat fide, condemnabitur; si vero caret baptismo in re suscepto, potest salvari per actum charitatis, qui est baptismus flaminis, quia pro adultis non est necessarium necessitate medii, nisi baptismus in re, vel in voto, si non adsit copia baptizandi.

QUID SIT CERTUM, ET QUID DUBIUM.

II. Hoc supposito, certum est apud omnes, ipsam realem et sacramentalem sumptionem eucharistiæ non esse necessariam necessitate medii, neque ad primam gratiam, neque ad adeptionem gloriæ, neque ad perseverantiam, licet sit præceptum de illa pro adultis de præcepto, ut dicitur infra quæstione LXXX, articulo XI. Quod vero non sit necessaria necessitate medii, constat ex usu et traditione Ecclesiæ, tum in parvulis, tum in adultis. De parvulis extat definitio Concilii Tridentini, sess. XXI, cap. IV, ubi dicit quod parvuli, et usu rationis carentes nulla obligantur necessitate ad sacramentalem eucharistiæ communionem, si quidem per baptismi lavacrum regenerati, et Christo incorporati, adeptam jam filiorum gratiam in illa ætate amittere non possunt: de adultis constat praxis Ecclesiæ, quod pueris jam habentibus usum rationis non datur communio, quousque perfectiorem usum rationis obtineant; similiter phrenetici et vomitum patientes, aut quodcumque peccatum indecentiæ habentes, eucharistiam sumere non possunt, etiam in mortis articulo: ergo sus-

ceptio eucharistiæ sacramentalis non est necessaria necessitate medii ad salutem, vel gratiam obtinendam.

III. Eadem ratione constat non esse necessariam sacramentalem sumptionem pro obtinenda perseverantia, quia si hoc modo esset necessaria, non possent parvuli, neque adulti (quibus Ecclesia denegat communionem) salvari sine illa, quia qui non habet perseverantiam amittit gratiam, et consequenter salvari non potest. Et deinde, quia hoc sacramentum ex sua propria ratione supponit vitam gratiæ in suscipiente, quia est sacramentum vivorum, et datur tamquam alimentum, cujus non est capax qui non est vivus: ergo ante sacramentalem sumptionem habet homo jus ad gloriam per gratiam: ergo si moriatur tunc, obtinebit illam; neque ad perseverandum amplius requiritur, quam non peccare mortaliter, quia solum per tale peccatum amittitur gratia; realis autem susceptio eucharistiæ non est simpliciter necessaria ad non peccandum mortaliter, quia multi non sumunt ipsam frequenter, et tamen non peccant mortaliter; ergo si in illo tempore quo non sumunt, moriantur, obtinebunt gloriam et perseverantiam, quia sufficit ad non peccandum mortaliter auxilium Dei protegentis, quod etiam per alia sacramenta et bona opera datur.

IV. Solum ob stare videtur illa auctoritas Joan. VI: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Hæc enim verba tantam necessitatem significant, sicut illa Joan. III: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Sed hæc verba intelliguntur de necessitate medii respectu susceptionis realis baptismi: ergo etiam priora intelli-

guntur de eadem necessitate respectu sumptionis realis eucharistiæ. Utrobique enim eisdem verbis, et eodem modo significatur necessitas utriusque sacramenti. Nec dici potest ibi esse sermonem de sumptione eucharistiæ in voto, non in re; tum, quia S. Thomas infra quæstione LXXX, articulo XI, colligit ex illis verbis necessitatem præcepti de ipsa reali sumptione eucharistiæ: ergo supponit loqui Scripturam de susceptione reali; tum, quia verba quæ loquuntur de baptismo, non intelliguntur de susceptione ejus in voto, sed de reali susceptione ut omnes fatentur, si quidem comprehendit etiam parvulos, quibus non valet baptismus in voto; ergo similiter alia verba debent continere necessitatem eucharistiæ in re, et non in voto: et tamen ex illis verbis colligimus necessitatem medii in susceptione reali baptismi: ergo etiam debemus colligere necessitatem medii in reali susceptione eucharistiæ. Nec sufficit recurrere ad auctoritatem Ecclesiæ, sic interpretantis unum et alium textum, quia hæreticus qui Ecclesiam negat, non ex auctoritate Ecclesiæ, sed ex textu convincendus est. Ac denique si est sermo de necessitate eucharistiæ in voto et non in re, cum omne votum seu desiderium non fit propter se, sed propter rem desideratam, est implicatorium dicere, quod eucharistia est necessaria in desiderio et voto, si ipsa res desiderata, scilicet, ipsum sacramentum in se nunquam est necessarium.

V. Respondetur verba illa Joannis sexti non continere necessitatem medii ad salutem, neque quantum ad primam gratiam, neque quantum ad ipsam gloriam, loquendo de reali sumptione; sed solum declarant qualitatem hujus cibi spiritualis, quia sicut vitæ corporali necessarius est cibus, ita quod nisi

manducaverint et biberint, non possunt habere vitam, id est, conservare diutius, licet brevi aliquo tempore sine cibo vivere possunt; ita in vita spirituali necessarius est cibus spiritualis, qui est, caro et sanguis Christi; taliter quod nisi istum cibum manducaverint, vitam habere non possunt, id est, diutius conservare; quæ est expositio S. Thomæ super sextum in Joannis, lectione septima, unde sicut datur præceptum hominibus de comedendo cibum materiale, quia datur præceptum de conservanda vita, non solum pro brevi tempore, sed pro diuturno; ita recte collegit S. Thomas, dari præceptum in illis verbis de sumptione reali eucharistiæ, hoc ipso quod instituitur in cibum spirituale, quia datur præceptum de conservanda vita spirituali, quæ est gratia, non solum pro brevi tempore, sed pro diuturno. Sicut licet cibus corporalis frequentius debeat sumi, quia periclitatur vita si frequentius non sumatur, pro vita autem spirituali non requiritur tanta frequentia hujus cibi. Quare negamus verba ista de necessitate eucharistiæ esse similia illis de baptismo, quia necessitas baptismi imponitur non habentibus vitam gratiæ, ut renascantur; necessitas vero eucharistiæ imponitur habentibus vitam, ut conservent illam et comedant: comedere enim est solum viventium; et ita hoc sacramentum est sacramentum vivorum: ergo ex ipsamet institutione et natura sua non imponitur ut medium ad habendam vitam, sed ut præceptum comedendi ad conservandam jam habitam; et sic ex ipsomet textu, et ex natura horum sacramentorum oritur diversus modus necessitatis in uno, et in alio sacramento. Et sic quando dicitur: *Nisi manducaveritis, non habebitis vitam*, est idem ac dicere, non retinebitis, seu non conservabitis

diutius; sicut de corporali cibo dicimus, quod nisi quis comedat, non conservabit vitam. Et ex auctoritate Ecclesiæ sic practicantis usum hujus sacramenti, et sic definitis in Concilio Tridentino confirmantur fideles in hac intelligentia.

VI. An vero significant illa verba necessitatem medii ad perseverandum, respondetur non significare, quia donum perseverantiæ ultimum (de quo solum loquimur) non datur ex opere operato per aliquod sacramentum, nec alicui medio fallibili est alligatum; alias qui reciperet hoc sacramentum cum debita dispositione (id est, cum gratia) infallibiliter salvaretur, quia reciperet perseverantiam. Solum ergo dantur media conservativa gratiæ, quibus disponitur homo ad perseverandum; et in isto genere præcipuum est frequentia eucharistiæ. Et eadem certitudine constat non requiri sumptionem sacramentalem ad perseverantiam tamquam medium per se necessarium, ut in infantibus declaravit Tridentinum sessione ubi supra; et in adultis constat ex usu Ecclesiæ, in pueris nondum habentibus perfectum usum rationis, licet possint mortaliter peccare, quibus tamen si esset medium necessarium ad perseverandum, non posset illis negare hoc sacramentum, nec infantibus. Ad id vero quod ultimo additur, quod si hæc verba continent necessitatem sumendi eucharistiam in voto, etiam continebunt necessitatem rei desideratæ, atque adeo ipsius eucharistiæ in se, respondebimus infra circa primum argumentum. Supposito ergo quod realis susceptio eucharistiæ necessaria non est necessitate medii, neque ad primam gratiam, neque ad perseverantiam ultimam, neque ad gloriam, restat difficultas, an saltem in voto ipsa eucharistia sit necessaria ad ista omnia.

VII. Et ut punctus difficultatis innotescat, certissimum est, quod res ipsa contenta in hoc sacramento, id est, Christus, et unio ad ipsum per desiderium et votum (scilicet per fidem vivam, tamquam membra ad caput) omnino necessaria est, tam necessitate medii, quam præcepti, ad omnem salutem, quia: *De plenitudine ejus omnes accepimus*, Joan. I: et: *Gratia per Jesum Christum facta est*, ibidem: *Neque est aliud nomen datum sub cælo, in quo oporteat nos salvos fieri*, ut dicitur Act. IV, unde non debemus divertere a Christo secundum se. Et multæ auctoritates quæ adducuntur, explicari possunt de Christo in se. Et ideo punctus difficultatis est, an sicut Christus in se consideratus est causa universalis totius gratiæ, influens in omnes sicut vitis in palmites, ita ut sine ipso nihil possimus facere, ita hoc sacramentum prout tale est, et a reliquis distinctum; et Christus non solum secundum se, sed prout sacramentatus, habet in genere causæ finalis influentiam in omnia sacramenta; et consequenter in omnem gratiam, quæ per Christum datur in sacramentis, vel in ordine ad illa. Nam in genere causæ efficientis constat hoc sacramentum esse sacramentum vivorum, nec per illud dari remissionem peccati mortalis, ut determinat Concilium Tridentinum sessione XIII, capite V, unde etiam jure divino tenetur peccator præmittere confessionem sacramentalem ad recipiendum hoc sacramentum; ergo prius debet esse in gratia, et sic non causat illam.

VIII. In hoc ergo puncto aliqui tenent partem negativam, scilicet sacramentum eucharistiæ non esse per se finem reliquorum sacramentorum, ita ut in suis effectibus dependeat ab illa tamquam ab influentia causæ finalis, et consequenter

ter non esse necessariam eucharistiam in intentione et voto, sicut est necessarius finis. Quam sententiam docet pater Suarez hic disp. XL, sect. II, et Vazquez disp. CLXIX, cap. III, et pro se multos citant ex antiquis, præsertim ex illis qui censent non dari præceptum divinum de sumenda eucharistia. Sed tamen illo præcepto admissio, adhuc tenet hæc sententia, eucharistiam non esse necessariam necessitate medii, neque in re, neque in voto, ex speciali ratione institutionis suæ, sed solum ex generali ratione, qua necessarium est ad salutem velle observare omnia præcepta, inter quæ unum est de sumenda eucharistia: alii existimant esse necessarium votum eucharistiæ etiam ad primam gratiam, et ad perseverantiam et gloriam, imo etiam ad omnes effectus sacramentorum, et sic magis dici eucharistiam necessariam necessitate finis, quatenus est finis omnium sacramentorum, quam necessitate medii, licet comparatione ad beatitudinem, medium sit. Dividuntur autem auctores hujus sententiæ, quia quidam (ut refert Vazquez ubi supra cap. II) existimant eodem modo esse philosophandum de hoc sacramento eucharistiæ sicut de baptismo, et de pœnitentia, quæ sunt necessaria necessitate medii, non absolute, sed in re, vel in voto, disjunctive, sumitque hæc sententia ly votum, pro desiderio suscipiendi hoc sacramentum, ita quod sumptio realis eucharistiæ non sit determinate necessaria ad salutem, sed casu quo ejus copia non detur, debet dari votum, id est, desiderium talis sumptionis, et hoc est necessarium.

IX. Alii sumunt ly votum, non pro desiderio sumendi realiter ipsam eucharistiam, sed pro ordine seu respectu qui invenitur in omnibus aliis sacramentis ad eucharistiam,

ut ad finem, et ita qui habet voluntatem recipiendi alia sacramenta, habet implicitam et virtualementem intentionem tendendi ad eucharistiam quatenus est finis talium sacramentorum; et hæc intentio vocatur votum eucharistiæ: et dicitur esse necessarium, quia necessitas finis, solum prout in intentione operatur; sic enim est causa finalis; nam prout in executione, potius est effectus, quam causa; quam sententiam Cajetanus et Soto attribuit Vazquez capite II citato in fine, eamque postea approbat capite III, quantum ad principale intentum, scilicet, quod votum eucharistiæ sit necessarium, non tamen quantum ad modum, quasi hoc sit speciale in eucharistia in quantum est finis omnium sacramentorum, sed solum ea generali ratione, qua est necessarium propositum servandi omnia mandata, inter quæ unum est de perceptione eucharistiæ.

X. Dicendum nihilominus est, non solum observationem præcepti de suscipienda eucharistia esse necessariam in voto, sicut reliqua omnia præcepta, sed etiam intentionem de ipsa eucharistia: et de effectu illius obtinendo, qui est unio et conversio in Christum, ita imbibere in omnibus sacramentis, quatenus est finis illorum eucharistia, quod sine tali intentione et voto nulla gratia vel effectus sacramentorum obtineri possit, etiam prima gratia. Hæc sententia est communis inter Thomistas, fundaturque in auctoritate S. Thomæ, et S. Augustini, et in ipsa natura et institutione sacramenti. De S. Thomæ constat in hac quæstione LXXIII, art. III, ubi inquit: « Quod potest habere homo salutem ante perceptionem hujus sacramenti ex voto ejus; sicut et ante baptismum ex voto baptismi; sed differentia est quod baptismus requiritur per modum principii, quia regenerat nos, eucharistia per modum

consummationis, quia est finis omnium sacramentorum, cum sit omnium excellentissimum, et contineat in seipsum auctorem gratiæ. Et sic baptismi perceptio requiritur ad inchoandam vitam spiritualem, eucharistia vero ad consummandam, non ut simpliciter habeatur, sed sufficit eam habere in voto, sicut et finis. » Ita S. Thomas: ergo sentit quod votum eucharistiæ, de quo agitur in præsentem, est intentio illius ut finis, quia dicit esse finem omnium sacramentorum, sed intentio finis in quacumque re ordinata ad talem finem, non est minus necessaria, quam res ipsa ordinata: ergo si baptismus et alia sacramenta ordinantur ad eucharistiam tamquam ad finem, non est minus necessaria intentio eucharistiæ, quam voluntas baptismi. Et ad hoc etiam facit id quod docet S. Thomas super Joannis caput VI, lectione VII: « Quod quantum ad spiritualem manducationem eucharistia omnibus est necessaria, licet non quantum ad realem sumptionem. »

XI. De S. Augustino constat idem sentire; tum in loco quem affert S. Thomas in hoc articulo tertio ad primum, ubi inquit: « Parvulos, et unumquemque quando in baptismo fit membrum Christi, tunc corporis et sanguinis ejus participem fieri, nec alienari ab ipsius panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, et calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat; » tum etiam in libro IV contra duas epistolas Pelagianorum, capite IV, ubi ponderanda sunt illa verba Augustini: « Hæc reconciliatio est in lavaero regenerationis, et Christi carne et sanguine, sine quo neque etiam parvuli possunt habere vitam in semetipsis. » Et idem docet libro primo, capite II; sed Augustinus non loquitur de carne et sanguine Chris-

ti, seu de pane et calice secundum realem sumptionem, quia expresse loquitur etiam de illis qui discedunt antequam comedant illum panem, et bibant illum calicem: ergo loquimur de manducatione panis et calicis virtuali et implicita, quatenus continetur in baptisate ordo ad eucharistiam. Hoc autem comparat Augustinus necessitati baptismatis, in quo ponit reconciliationem nostram æqualiter atque in ipsa carne et sanguine Christi, et docet esse necessarium necessitate medii, quia dicit sine ipso, (id est, sanguine Christi in hoc sacramento) neque parvulos habere vitam.

XII. Et hanc mentem Augustini sic intellexit S. Thomas supra quæst. LXV, art. IV ad secundum: comparans enim S. Thomas necessitatem baptismi et eucharistiæ propter verba Domini: *Nisi quis renatus fuerit*; et: *Nisi manducaveritis, etc.* dicit illud esse intelligendum de spiritali manducatione, non de sola sacramentali, ut exponit Augustinus super Joannem, tractatu XXVI et XXVII: ergo sentit S. Thomas, agnovisse Augustinum in spiritali manducatione eucharistiæ æqualem necessitatem, atque in ipso baptismo, sumendo spiritualem manducationem non pro desiderio speciali et expresso de sumenda eucharistia, sed pro illo ordine et respectu qui in baptismo implicite involvitur ad eucharistiam, quia dicit ipse Augustinus tunc participem fieri aliquem corporis et sanguinis Christi, quando in baptisate fit membrum Christi.

XIII. Ratione quoque deducitur ista pars ex ipsa institutione et natura hujus sacramenti, et reducitur ad hunc syllogismum: Sacramentum eucharistiæ est institutum tamquam finis universalis omnium sacramentorum; sed quotiescumque aliquid dependet ab altero ut a fine, si tale medium est necessarium,